

Finisti vitæ fabulam, peregisti cum laude, deposuisti cum gloria.
Vale, æternumqve vale.

Divinæ Majestatis Omnipotentia redituræ serenitatis argumen-
tum velut bonæ spei promontorium, & fortunatæ insulæ incre-
mentum Salvam Conseruet sospitemq; SEREN. DUCISSAM VIDU-
AM SOPHIAM, divino assistat solatio, Ser. Principibus CAROLO FRID.
& CHRIST. ULRICO vitam largiatur diuturnam, seram Immorta-
litate. Cels. Pr. Sorores LUISAM & AUGUSTAM radiantes
Oelsnensæ; stellas nulla malignior invadat aura, eveniat ipsis felici-
tas, præveniat vota. DEUS O. M. conseruet totam SER. WIR-
TENBERGICAM FAMILIAM, diu ut liceat intueri fulgorem, quo
seculi illustratur gloria, venerari insignia quæ prosperitas nititur
Principatus, adorare purpuram, quæ subditorum salus involvitur,
felicia illa intueri sidera, quæ Cels. DOMUL benigna portendunt
fata, nil in penetibus ejus mortale, nihil malignæ pervium fortu-
næ, ejus felicitas mediam quasi æris & infortunii supergressa regio-
nem, hinc inde fulminantes in Europa Bellonæ facces & coruscantia
Mavortis tela spectet periculi expers & securæ.



17

PANEGYRICVS
VIRO ILLUSTRISSIMO
EVERHARDO
DANCKELMANNO,

POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
MINISTRO STATUS PRIMARIO, ET OMNIUM
CONSILIORVM COLLEGIORVMQVE

SVMMO PRAESIDI,
IN FRIDERICIANA ACADEMIA

VIII IDVS SEPTEMBRES 1710
PVBLICO NOMINE DICTVS

A
GEORGIO CHRISTIANO DE STILLE,
EQVITE MARCHICO.

HALAE MAGDEBURGICAE,
EX OFFICINA ACADEM. CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI.

PANGEVRSVS
 VRO ILLVSTRISSIMO
EVERHARDO
 DANCKEMANNNO
 TOTISSIMO ELECTORI BRANDENBURGICI
 MINISTRO STATVS PRIMARIO ET COUNCILORVM
 COLLEGIORVM COLLEGIARVM
 STMMO PRASIDI
 IN FRIDERICIANA ACADEMIA
 VIVIDVS SEPTEMBER ANNO 1717
 GEORGIO CHRISTIANO DE STILLE
 ROYALTE MARSHALL
 PALACE WESTMINSTER
 THE GREAT CHURCH DOOR
 LONDON



Accenatem laudaturus sum, Au-
 ditores, non autem Caium Cilni-
 um, Octauiani Cælaris amicum,
 quo consiliorum duce ad sum-
 mum is fastigium adscendit, & e-
 am felicitatem imperio sæculo-
 que attulit, cui nihil par, nihil se-
 cundum Roma vnquam viderat: sed alium, & vel maio-
 rem ingenio, virtute, felicitate; vel certe ita æqualem, vt
 quas in istum certatim laudes Romani congesserunt, iis-
 dem alter, si non maioribus, & quidem iure suo maxi-
 moque merito dignissimus videatur. Omnes gentes,
 bonum Principem sortitæ, maximopere sibi gratulan-
 tur, & fortunæ, quo vtuntur, cursum cælo imputant,
 ac in eo quod res est faciunt, & quod officium vnus-
 cuiusque exigit. Quum vero, quos in sublimi Deus
 collocavit, comites consiliorum habeant & rerum ge-
 rendarum administros; vtique ad illos etiam aduerti a-
 nimum decet, quum de felici imperio cogitamus; qui si
 præstanti ingenio, ac sapientia, & rerum vsu instructi
 sunt, eximios & incredibiles fructus ad rempublicam sub
 bono Principe adferunt. Nolo vos, Auditores splendi-
 disimi,

A

dislimi, verborum ambagibus circumduci, vt quorsum hæc mea oratio tendat, suspenso ore expectetis. Omnibus vobis notissimum est, & grata mente etiam mecum prædicatis, sub auspiciatissimo FRIDERICI III, sapientissimi felicissimique Principis, imperio, Brandenburgicæ ditionis populos feliciores multis ceteris esse, quos ambitu suo Germania nostra aut circumiacentes etiam regiones tenent. Quantum propterea serenissimo ELECTORI, vt æquisimo mitissimoque DOMINO debeamus, neminem vel præsentium, vel aliorum, ad quos hæc bona pertinent, ignorare arbitror. Quod dum identidem cogitamus (nefas autem esset non cogitare) non potest in mentem vna non venire, quo ductore is ad tantam perfectionem peruenerit, cuius sapientiam & felicem rerum gubernationem nunc Orbis admiratur. Nec illud potest ex animo abesse, quorum consiliis & ope & virtutibus vtatur in tam feliciter regendo moderandoque imperio. Summos VIROS maximisque meritis insignes non ignoratis, qui arcanorum ELECTORIS participes publicam rem & domi & foris, in pace & bello prudentissime administrant. Quorum tanta est sapientia gerundæ reipublicæ, tantus vsus & rerum omnium exercitatio, tanta fides, industria, & in agendo felicitas, vt, nisi inter sese ipsi, cum aliis non possint comparari, quin semper superiores virtute, atque sic vere incomparabiles existant. In tanta paritate virtutum quis iudicium interponere audeat? Nec vero non maximi faciendum est, quod PRINCEPS sapientissimus fecit, ex tanta æqualitate eligendo, quem primis honoribus ornet, & SUPRE-

MVM

MVM PRAESIDEM omnibus tam consultandis, quam peragendis rebus & negotiis constituat. Quod sane diuini ingenii iudicium in eo, de quo factum est, mirabilem, hoc est summam sapientiam & virtutem euincit, & spem nostram, de incremento felicitatis, mirifice confirmat, & magnis in dies accessionibus auget. Est itaque quod serenissimo ELECTORI de tanto Ministro gratulemur, qui fide Achatem, consilio Mæcenatem, felici rerum expeditione felicissimorum Principum optimum quemque administrum & sollertissimum ducem refert. Est quoque quod ipsi maximo VIRO, cuius nomine omnes laudes comprehenduntur, EVERHARDO DANKELMANNO gratulemur, cui non fortunæ temerario casu, sed virtute, ingenio, & industria tam felici esse contigit, vt Reges & maximi Principes exemplum ab eo petant, quibus virtutibus instructum esse oporteat, cui summam rerum, quisque in regno suo aut amplis possessionibus, committat. Gratulatur Electoralis Aula, gratulantur Prouinciæ omnes, & nostra quoque Fridericiana Academia se ad gratulandum, sui officii non immemor, componit. Quantum enim tanti VIRI consiliis, curis, industriæ debeat, non ingrato animo intelligit, cuius dexteritati in primis imputat, quod difficillimis his temporibus, quæ inexplicabilia visa fuerunt, expediri feliciter potuerint, & noua condi Academia, quando alii vix veteres conseruari posse credidissent. Neque ignorat, cuius itidem curis consiliisque incrementa sua & illustria ornamenta, tam quæ nunc nuper accepit, quam quæ in posterum expectat, tribuenda potissimum habeat, vt adeo iustæ gra-

A 2

tulandi

laudandi rationes Academiae non desint, si cum Aula, cum
Prouinciis, cum exteris etiam in illo officii genere cer-
tauerit. Quae uero publica vota & gratulationes Aca-
demicae esse debent, miramini forsan, Auditores, quid
sit, quod ego in me susceperim, qui neque ingenio ne-
que dicendi facultate cum amplissimis uiris, qui adsi-
dent; neque cum doctissima iuuentutis corona, quae
circumstat, comparandus ullo modo sum. Scio enim ex-
iguitatem meam, nec uero praecipiti temeritate aut iu-
uenili impetu hoc arduum opus & maius ingenio meo
adgressus fui; sed sequutus auctoritatem illorum, quo-
rum iudicium negligere nefas esse existimo: etiam pri-
uatis meis rationibus inductus, qui non ignoro, quanta
sit illustrissimi uiri SUPREMI PRAESIDIS in paren-
tem meum aliosque meos eximia prorsus & singula-
ris beneuolentia; quantus fauor & studium florentissi-
mi FILII, Imperialis Aulae Consilarii splendidissimi;
quanta itidem benignitas in meos sit perillustrium FRA-
TRVM, omnium honoris causa appellandorum, ut vel
hoc nomine mihi abunde rationes sint, cur refugere mi-
nus debeam, quod gratulationis munus in uestra praesen-
tia subeo. Id autem non ingenii mei fiducia, quod scio
quam exiguum sit; sed admirabili humanitate illius fre-
tus, quem laudaturus sum, in me suscipio, eaque futu-
rum esse spero, ut quidquid huius officii est, is magis ex
obsequente uoluntate mea, quam ex laudationis imper-
fectione metiatur: quod de uobis etiam, Auditores be-
nignissimi, confido, & ut spei huic meae robur beneuo-
la auscultatione addatis, qua possum obseruantia & ve-
neratione peto atque contendo.

Vbi

Vbi uero incipiam, & in quo finem dicendi faciam,
in tam illustris exempli copiosa & abundanti materia non
equidem uideo, Auditores. Veniam dabitis adolescen-
tiae meae, si non accurato tractationis delectu, sed ut aliud
ex alio in mentem incidet cogitanti, ex infinitis decer-
pam, & pro mediocritate ingenii mei ac uestra beneuo-
lentia cursim ac breuiter persequar. Romanorum feli-
cissimum Q. Metellum praedicant, qui tres filios consu-
lares uidit, ex iisque unum Censorium ac Triumphale:
quartum autem Praetura defunctum, quos saluos &
florentes etiam reliquisse, quum diem obiret, refertur.
Ignoscant mihi Romani, felicitate Metellorum glorian-
tes, quum optimus senex, DANCKELMANNORVM
Pater, omnino felicius fuerit, qui non quatuor, sed se-
ptem filios, magnis omnes honoribus ornatos, uidit, at-
que sic uere posterorum gloriae, sine offensa fortunae, ad
extremam senectutem, raro felicitatis exemplo, interfu-
it. Quantum habebat Deo auctore, fortuna faulrice, re-
liquit etiam FILIIS, hoc est cum generis antiqua ho-
nestate, integritatis & uirtutis famam, & quae praecipua
parentis gloria est, filios optimarum artium scientiis ad
uirtutis gloriam institui curauit. Non patris, sed naturae,
immo Dei illud munus est, quod omnes ingenio excel-
lant, omnes mentem sortiti sint ad uirtutem & gloriam,
quam ad uoluptates, impetu suo procliuiorem. Qua di-
uina felicitate consequuti sunt, ut pariter in sublime con-
surrexerint, & aequis passibus ad gloriam grassati, anti-
quam maiorum dignitatem suis ipsi uirtutibus, quae de-
mum uera nobilitas est, nobiliorem illustrioremque ef-
fecerint. Parum ad nos pertinet, qui in nostram glori-
am

B

am

am vixerint, quum quod ante nos fuit, nostrum esse non possit. Animus nobilem facit, & supra fortunam & quæ fortuna dare potest, virtute & industria extollit. Sibi ergo & suæ virtuti debent hi septem FRATRES, quod eximii omnes sunt, & in fastigio gloriæ stant, in quibus qui medio loco est, vt Sol inter Planetas, fulgentissimus est EVERHARDVS. Magnorum fluminum etiam fontes nauigabiles sunt, & generosioris arboris statim planta cum fructu est. Numerent annos suos illi, qui de plebe hominum sunt: at ingenium cælesti ætatem antecedit, & quæ adultiorum sunt annaria lege, in pueritia prætentat, nec infelici conatu, quod tentauit, adsequitur. Duodecimum annum agebat EVERHARDVS, quo nondum alii rudimenta prima posuerunt, quum in Ultraiectina Academia de ardua re, admirantibus omnibus, disputaret, & spem haud dubiam faceret, talem olim futurum esse, qualem puerilis ætas tam illustri specimine proluserat. Septimo decimo ætatis anno, quo Romani, prætexta posita, virilem togam sumebant, ingressuri in illa munia, quæ ætatem grandiorum decent; hic Noster non ingressus est in iuuentutis studia, vt plerique adolescentum solent, sed per omnes numeros se illa absoluisse egregio clarissimoque documento probauit, ipseque publicis testimoniis & miris gratulationibus probatus laudatusque fuit. Vtque magis expoliret ingenium, & aliarum gentium sapientia firmaret, in exera regna & prouincias profectus, vbique adnotauit, quid salubre sibi, & reipublicæ frugiferum foret, vt aliquando ad communem vtilitatem adferret. Iam tempus erat, vt Iuuentutis Principi, nunc Electori pot-

tentissimo & Domino nostro, adiungeretur, qui liberalibus studiis illius, quæ ingrediebatur, dux & moderator adesset, & per illorum disciplinas ad virtutem & summa quæque adsuëfaceret. Non diu quærendus erat, qui ceteris omnibus antistaret. Fama DANCKELMANNI non contineri patria, neque finibus Germaniæ inferioris poterat: latius virtutis existimatio manabat, vt in aulas etiam penetraret, præsertim illam, quæ semper iis constipata viris fuit, qui ingenia æstimare, & virtutem in pretio habere longo vsu, præter ceterarum consuetudinem, didicerant. Viro cum viris conuenit, ingenio cum ingeniis, & sic adlectus ante triginta tres annos fuit, vt serenissimum FRIDERICVM, tum iuuentutis Principem sua natura atque indole ad optimas quasque virtutes & summam sapientiam mirifice adolescentem, ita dexteritate sua educaret, vt aliquando par Maioribus & dignus tam excelsa origine Princeps existeret. Fausto pede & felici auspicio ingressus Aulam DANCKELMANNVS est, quod euentus felicissimus, vt nemo dubitat, luculentissime comprobauit. Serenissimum enim PRINCIPIS animum iis doctrinis & virtutibus impleuit, vt non Europa modo, sed sub alio etiam sole calentes terræ, quo Brandenburgica gloria pertransit, cum sapientiam illius, tum domi belloque partam felicitatem admirentur. Interest, a quo quisque in adolescentia formetur, qui viam ad virtutes sternat, qui iis artibus instituat, quas nunquam dediscere necesse sit, quæ per omnem vitam fructus permanentes ferant. Quod sicut prudentiæ lege pro cuiusque conditione temperari debet; ita in primis ardua res est, formare Principem, &

virtutum præceptis ita imbuere, vt pectus eius generoso honesto, quod poeta ait, incoctum, nihil sapiat quod humile; nihil sentiat quod non sanctum & salubre sit, nihil appetat etiam quod virtuti repugnet, aut communem vtilitatem deminuat. Id quibus artibus paretur; quibus partum conferuetur, ne pereat, aut obliuione aboleatur, id vero non cuiusuis est intelligere, aut, si quoque intelligat, ita liberali ingenio, & in domo regnatrice educto, applicare, vt fugiat, quod inceptu turpe, aut exitu foedum: contra iis rebus vnice studeat, quæ eximios fructus ad publicam vtilitatem adferunt. Quo ergo rarior hæc nostris temporibus felicitas est, eo plus illi gratulari decet & gratias publice agere, cuius ductu, consilio, admonitu talem PRINCIPEM habemus, vt si voto etiam certare velimus, nemo quisquam meliorem fingere vel optare sibi audeat. Hunc ergo quum tanquam Phidiæ signum, & Aulæ, & prouinciis, & exteris regionibus ostentasset, omnium bonorum amorem in se conuertit, præsertim illius, in cuius nunc excelsum locum dignissime susseptus est, cui & antea, ex quo primum in Aulam venerat, ita carus semper æstimatusque fuit, vt assidue secum esse vellet, quo de Principe, cuius educandi summa cura etiam penes ipsum erat, conferre inter se frequenter possent, & omnia sapienter ita ordinare, vt Princeps ad eam perfectionem, quam nunc omnes in eo admiramur, felicissime prouheretur. Vidit vir perspicacissimus (illustrissimum Baronem SWERNVM puto, illum supremum rerum & consiliorum Præsidentem, & Nostri, ex interuallo quamuis, antecessorem.) Is, inquam, vir perspicacissimus vidit, quanto ingenio

genio DANCKELMANNVS esset, quam felici in regenda PRINCIPIS iuuentute, quam capaci rerum omnium, quæ ad summam rempublicam pertinent; ideoque sibi commendatissimum habuit, consiliis adiuuit, sermone perpoliuit, hortationibus excitauit, aut calcar potius sua sponte currenti addidit. Ipse quoque DANCKELMANNVS non ignarus, quantum hauriri ex hoc fonte, aut mari potius, posset ad augendam ciuilem prudentiam, illustrissimum BARONEM semper coluit, studiosè audiuit, ac domi & in publico adfectatus ita fuit, vt arcana quoque semotæ dictionis eius penitus exciperet. Quo factum est, vt in rebus ex publica vtilitate iudicandis mirum quantum proficeret, quia supremus ille Præses Brandenburgicus tam subactò iudicio erat, eaque rei publicæ scientia, quam tam ingenio suo & naturæ vi, quam doctrinæ institutione & longo rerum vsu consequutus erat; vt qui cum eo conferri potuisset, ætas illius perpaucos haberet, aut, si verius dicam, neminem. Sic sensim in notitiam Aulæ, prouinciarum, & omnium gerendarum rerum DANCKELMANNVS penetrauit, generosumque pectus suum earum artium cognitione impleuit, quæ non in ymbra modo suum decus & ornamentum habent, sed in luce etiam reipublicæ effulgent, eidemque præsidio & singulari stabilimento sunt. Multi quidem præstanti homines ingenio laudantur, qui magnificas de virtute, honestate, animi magnitudine doctrinas perceperunt, etiam magno sono de iis disserere & declamare priuati possunt: at si in lucem protracti rebus gerendis admoventur; tum vero hærent, atque dubitant, & in ignoto orbe se pedem posuisse existimant.

h

C

Phi-

Philopœmenis vox est, clarissimi inter Græcos viri, DOCTRINAM DEBERE AD FACTA TENDERE, hoc est, quidquid addiscatur, ad vsum rei publicæ referendum esse, & ab iuuentute ita præparandum ingenium, vt ad naturam atque indolem doctrina & experientia accedant, quæ etsi singulæ non nihil ad prudentiam valeant, sine coniunctione tamen aliquid eximium & perfectum proferre non possunt, quod ad omnes fortunæ casus, ad omne tempus ita paratum præmunitumque sit, vt inconcussum semper maneat, & prosperis, aduersis idem, non modo rem publicam tueatur, sed incrementis etiam felicitatem eius augeat. Hæc præuidisti, vir maxime, EVER HARDE DANCKELMANNE, his præmuniri pectus tuum ad gerendam rem publicam mature voluisti. Tot annos enim in Aula præpotente & Europæ cunctis rebus implicata versatum quid non vidisse Te, & obseruasse, & prudentiæ tuæ ingenti incremento attulisse oportet? Omnibus itaque, qui virtutem amabant, etiam Te, DANCKELMANNE, vt virtuti simillimum, sibi carum habuerunt, sed carior nemini fuisti, quam tuo Principi, qui de fide tua, de industria, de agendi felicitate, quam expertus tot documentis fuerat, omnium optime iudicauit. Gratianus Imperator, quum Decio Magno Aufonio, a quo litterarum disciplinis institutus fuerat, supra priores Quæsturæ, & Italiæ Galliarumque Præfecturæ honores, vna a patre Valentiniano antea collatos, ipse apicem dignitatis, Consulatum, in Treueris absentem conferret, clementer, benigne, pie eidem scripsit, SOLVERE SE, QVOD DEBEBAT; ET ADHVC DEBERE, QVOD SOLVERIT. Simillimus Gratiano Augusto

gusto est Fridericus III, Elector potentissimus, Dominus noster clementissimus, qui quum idem a Te accepit, DANCKELMANNE illustrissime, amore & voce id testari non erubuit; etiam pietate & æqui ratione non potuit, quin Tibi persoluat quod debuerat; constantia & virtute non desinit, quin idem quod soluit, Tibi semper acceptum referat. Summa in Principe virtus est, a quo virtute delibutus fuit, eiusdem virtutem, vt fontem suæ, amare, ornare, colere, quo omnibus signum ad bene sperandum erigitur, æstimari adhuc virtutem & recte facta, nec quemquam meritorum præmio excidere. Te semper PRINCEPS OPTIMVS consiliario, Te comite, Te rerum suarum administratore vsus erat: quum vero satis volentibus gloriosæ memoriæ PARENTI, in magno imperio succederet, Te quoque maioribus rebus admotum, immo maximis præfectum voluit, si Tu æque voluisses acceptare, quod illius clementia benignissime offerebat. Perblande Gratianus Aufonio: VT ME NOSTI, VT FACERE DEBVI, VT VELLE TE SCIVI, CONSILIVM MEVM AD DEVM RETVLI. Tu solus optime nosti PRINCEPEM, quem formauisti: Tu nosti virtutem eius, qua nihil debet, quod non tandem exsoluat: Tu pietatem nosti, qua omnia sua ad Deum refert: & vt ita faciat, scimus quoque Te velle: vt Tibi summam rerum committat, non ignoramus Te noluisse. Modestæ admirandæ est, quod recusasti honorem: virtutis est, quod laborem, curam, difficillimam quamque expeditionem non, refugisti. Nihil etiam Tibi deberi censet, sed quæ imputantur Tibi, principalia beneficia laudas: & quod tuum ex iis esset, naturæ serenissimi

mi PRINCIPIS & animi bonis eius intribuis, quæ utique maxima in illo sunt, sed quod ipse non negat, Te cultore, Te excitatore. Aufonius ante eras, post Mæcenæ factus, & summis negotiis & secretissimis consiliis adhibitus. Et vere Mæcenæ es, quia ille, quamuis omnia Augusto præstabat, in summum tamen ordinem cooperari noluit: quæ & tua per tot annos moderatio fuit, donec victus tandem abundante clementissimi Electoris voluntate, admitteres honorem, quo superior cunctis factus es, non autem animo elatior. Dulce nomen Mæcenatis est, præsertim litterarum dicatis studio: nec vero hoc omnem eius amplitudinem metitur. Ingeniis favebat Caius Cilnius, quæ illum etiam æternitati dedicaverunt: non autem id solum eius studium erat, sed pacis bellique rebus ab Augusto præfectus, & omnium consiliorum vel auctor vel moderator, ad imperii felicitatem, quam hodieque miramur, maiorem partem, vel cumulum etiam attulit. Ex eruditione, uti solenne est, summa eidem humanitas erat, ut nulli grauis, omnibus æquus, in bonos benignus existeret, malos cum moderatione castigaret. Plerisque bellis suo Principi aderat, Mutinensi, Philippeni, Siculo, Actiaco, & in hoc etiam præcipua pars victoriæ, utpote victrici classi eo tempore præpositus. Domi nihil gerebatur magnum sine illius consilio, & quum de imperio reddendo Augustus cogitaret, hunc & Agrippam consuluit, sed Mæcenatis consilium sequutus fuit. Cuius etiam moderatione factum, ut iuste & secundum leges agerentur omnia; & quod Augusti aula templum Musarum, asyllum eruditorum, palæstra ingeniorum erat, huius quoque consilio, hortamento,

mento, exemplo constitutum fuit. Eadem Tibi, MAGNE DANCKELMANNE virtutum tuarum origo est, eadem illarum alrix, & conseruatricum eadem, profundæ tua eruditio, qua vniuersam litteraturam magno animo complexus es. Huic enim vere tantum debes, quantum ab omnibus, tam exteris quam indigenis, æquo iudicio æstimaris. Quid vero sapientiæ consiliis, quorum Tu non mediocris pars eras (nunc Præses & Director factus) non adhuc effectum fuit in augusta Domo Brandenburgica? his concordia debetur, quam illa habet intra se: his Regum Principumque & Rerumpublicarum amicitia, coniunctio, atque societas debetur: his incrementa commerciorum, & ut verbo dicam, quæ difficillimis his temporibus vix credi potest, felicitas publica debetur. Perpendite quæso, Auditores, nam vos testes felicitatis appello: cogitate quæso, quæ facies rerum sit in urbibus, in agris, & cunctis prouinciis, quæ Brandenburgicæ ditionis sunt? Quis de iniuriis conqueritur? aut de nimietate tributorum? omnia pacata intra fines sunt, florent omnia, & spem maioris prosperitatis faciunt, quum ad maturitatem, ut speramus, quæ bene coepta sunt, peruenierint. Quis vero tam expers omnis sensus est, aut tam rerum omnium ignarus, ut nesciat, quorum tum communiter consiliis, tum cuius præcipue hæc omnia gerantur, componantur, dirigantur? Sed hæc intra fines patriæ: apud exteros quanta seges gloriæ Brandenburgicæ? quot tropæa ex proeliis, obsidionibus, expugnationibus statuta? sunt Brandenburgica castra in Vngaria, Italia, Brandandia, ad Rhenum. Quidquid ubique harum gentium præclare adhuc gestum fuit, eius gloriæ participes ac

D

focii

socii ex maiore parte Brandenburgici sunt. Testes sunt Bonna, Reinberga, Insula Cæsarea, Casale, Namurcum, Salankemen, Landa, & alia loca, in quibus vestigia virtutis suæ non leuiter sed altius impressa Brandenburgicæ copiarum reliquerunt. Tam diuersis locis exercitus habere, alere, supplere, feliciter gerere omnia, res sane multi consilii est & magnæ subactæque prudentiæ, vt de instantibus recte iudicari, de futuris etiam conici callide, ac quasi diuinatione quadam, quod frugiferum est, præsumi & anteuerti possit. Non latere potest, quantæ & heic nostri DANCKELMANNI partes sint, quas si vel ipse pro modestia sua dissimulare velit, Imperator, Reges, Principes & præpotentes Respublicæ magno præconio & effusis laudibus commendant. Hæc sunt necessitatis consilia, pro salute patriæ atque gentis gloria concepta: supersunt alia pro ornamento instituta, nec minus eadem pro gloria, quia Domus Brandenburgicæ splendorem non mediocriter augent, & regium prorsus efficiunt. Innumerabilia sunt, quæ heic adferri possunt pro maiestate & gloria demonstranda, sed pleraque maiora sunt, quam vt mea dicendi imperitia eloqui & enumerare, nedum verbis, vti par est, exornare possit. Vnum ergo, quod in oculos maxime incurrit, quod omnes stupent, mirantur, prædicant, mihi sufficiat instar exempli, ex quo de ceteris quoque iudicari possit, protulisse. Memoriam proditum est, Augustum Cæsarem id sibi laudi duxisse, quod Romam marmoream relinquat, quam latericiam inuenerit. Non inuidemus magno Principi gloriam, quam merito suo consequutus omnium consensione videtur; at vero ea ratione concedimus, vt socium huius

huius laudis FRIDERICVM III ferat, qui Berolinum, regiam suam, ita mirandis substructionum molibus non longo spatio temporis ornauit, & ornare in dies pergit, vt nulli clarissimarum urbium, quas orbis habet, iam dum concedat, minusque cessura sit in posterum: vt de ædificatis prouinciis, de principalibus prædiis, vetusto debitorum nexu liberatis, nihil dicam, id quod satius esse duco, quam pauca de rebus maximis amplissimisque denarrare. Hæc vero omnia, quæ dixi, qui sic dirigere, ita ordinare, & quoduis suo loco & tempore dispensare, ne detrimentum res publica capiat, sed præter decus etiam utilitas & fructus insignis percipiatur; hoc, inquam, qui ita disponere consilio potest, & sapienti dispensatione ordinare; nã illum oportet excellenti iudicio & singulari prudentia præditum esse, vt ita calculum cum imperio ponat, quo nihil desit vlli rei necessariæ, contra supersit multum splendori & magnificentiæ. Publica omnium vestrum, Auditores, & quotquot in his terris sunt, conscientia teneatur, quantum etiam ad ornamenta hæc patriæ, & eximium eius splendorem, generosa mens DANCKELMANNI attulerit, & magis in dies, ita PRINCIPE volente, adferat: quo mihi laudem Aemilii Pauli consequutus videtur, qui dixit & exemplo suo probauit, eiusdem hominis esse, res maximas domi militiaeque gerere, & rempublicam magnificis splendidisque ornamentis condecorare. Ad propiora, Auditores, & nostræ Academiæ propria accedo. C. Cilnium Mæcenatem præter innumera merita, quibus domi forisque clarissimus erat, ex fauore & benignitate in bonas litteras immortalitatem consequutum fuisse, tot ingeniorum monimenta, illius gloriæ atque

atque honori posita, documento sunt illustri. Quæ ma-
iora & constantiora puto, quam cuncta tropæa, templa,
arcus, statuas, quibus antiqui mortales nominis sui, vel
eorum quos colebant, æternitatem adfectarunt. Nihil
est enim opera aut manu factum, quod aliquando non
conficiat & consumat vetustas. At vero de litteris bene
mereri, earumque studia in altius promouere, & his ad-
dictos benignius tueri ac præmiis ornare; hæc vero illa
ambrosia est, quæ veram immortalitatem conciliat, hoc
est gloriam nunquam interituram. Verat Musa Ma-
ronis, & Flacci, & Propertii, & Pedonis, ac aliorum, Mæ-
cenatis gloriam, non dico interire, sed ne marcescere qui-
dem; quæ utique stabit, florebit, perennabit, quamdiu
litterarum semperiterna & immortalis gloria stabit. Cre-
de nobis, MAECENAS BRANDENBURGICE, inter
cetera tua opera atque miranda merita, quamvis sunt
maxima, nullum tamen illustrius esse, nullum perenni-
tate durabilius, quam quibus litterarum Tibi cultores de-
vinxisti. Laudant Te Belgæ, celebrant Germani, miran-
tur exteræ nationes, & in cælum efferunt; sed omnium
maxime hæc FRIDERICIANA se plurimum Tibi de-
bere grato animo ac ore profitetur, & nunquam non
profitebitur. CONDITOREM suum maximum opti-
mum perpetuo veneratur: nec vero illud nescit, tuo po-
tissimum consilio stetisse, ut opus maturatum & augu-
sta dedicatione consummatum fuerit. Obstabat difficul-
tas temporum, & strepitus armorum, quæ curas, consilia,
& sumtus ad se deripiebant: tua tamen & Collegarum
prudencia effectum fuit, ut nec illis ad vincendum quid-
quam deesset, neque opus saluberrimum differretur,
quod

quod sedem bonæ menti, sacrarium virtuti & optimis
litteris ac disciplinis domicilium perpetuum præberet. E-
adem Fridericiana, quæ adhuc ad stabilitatem suam exspe-
ctat, per tuum fauorem, commendationem, industriam
sperat omnia, quia generosus animus tuus non quiescet,
nisi perfecta re, quam cogitas, & serenissimo ELECTO-
RI, DOMINO nostro benignissimo commendas. Cre-
de, VIR PERFECTISSIME, hoc si perfeceris diligen-
tia tua, ingens cumulus ad gloriam tuam accedet, neque
vllis spatiis illa aut finibus terminabitur. Omnia spera-
mus ex ingenio tuo, ex tua in bonas litteras mirifica pro-
pensione, qua apud tuum nostrumque PRINCIPEM
& MVSAGETAM perficies, quæ in hoc sapientiæ &
bonæ mentis templo restant perficienda. Valerii Mar-
tialis vox est, NON DEFORE MARONES, SI NON
DESINT MAECENATES. Te Mæcenatem opti-
mum habemus: futurum ergo confidimus, ut nostra stu-
dia & Academia in dies magis efflorescant, quum plurimi
inter sit, utrum sint in Aula, qui ingenia æstiment, qui com-
mendent, exstimulent, ac præmiis munerentur. Hoc si fa-
cies, quod facturum Te esse nemo dubitat; facies utique
quod pridem soles, & quod nemo Te præstantius potest
efficere. Quod ita nobis certum constitutumque est, ut,
quæ futura exspectamus, per voluntatis tuæ constanti-
am in acceptis iam numeremus, debitum videlicet tuis
meritis summum perfectissimumque complementum.
Fecisti magna in republica, fecisti in re etiam littera-
ria: nunc maiora facies, postquam ad maiorem digni-
tatem sublatus, & pro maximis meritis tuis a poten-
tissimo Electore omnium consiliorum ac rerum geren-
darum

darum PRAESES SVMMVS constitutus es. Quem maximum honorem vt Deus fortunet, precamur; quo potentissimæ Domui Electorali & vniuersæ reipublicæ saluber sit, Tibi vero ac Tuis semper gloriosus, & nobis ac Musis nostris faustus atque beneficus. Lætatur virtute tua, gratulamur gloriæ, & ominamur maiorem felicitatem, eamque Tibi Tuisque perpetuam. Est quoque,

sed hæreo, quia tua moderatio iubet hæsitare: dicam tamen, quia dignus es & incredibili virtute tua mereris. Est, inquam, quæ nouam gratulationem postulat, noua tua & fulgentissima dignitas, quam augustissimus inuictissimusque IMPERATOR, conscius meritorum tuorum, Tibi dignissimo offert; Tu vero animi tui moderatione ad hunc vsque diem deprecaris atque declines. Quum clari hominis iudicium, quod de virtute facit, haud contemnendum sit; quanti putemus æstimandum illud esse, quod de virtute & meritis tuis summus Christiani Orbis Princeps fecit? Quod vero maioris animi est, honorem oblatum recusare quam adsumere; vel eo nomine virtuti tuæ & animi magnitudini gratulamur, quod quum possis COMES esse, & monearis etiam vt sis: tamen malis sine titulo magnus esse, quam cum illo talis videri, quod dum facis, non modo par COMITIBVS es, sed virtute & animi continentia maior, immo maximus. Gaude igitur tuo isto tam excellenti bono: & fruiere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis. Sic, qui dulcissimus fructus sapienti est, semper Te meritorum conscientia oblectabit, & gloriam tuam æterna prædicatione & memoria colet posteritas.



AD
PANEGYRICVM,
QVEM
ILLVSTRISSIMO VIRO
EVERHARDO
DE **DANCKELMANN,**
POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI,
CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI,
MINISTRO STATUS PRIMARIO, ET OMNIVM
CONSILIORVM COLLEGIORVMQVE IN AVLA,
IN PROVINCIIS
PRAESIDI SVPREMO,
LITTERARVM PATRONO MAXIMO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
D. V. SEPTEMBRIS AB HORA X. c12 12c XCV
GENEROSVS IUVENIS
GEORGIVS CHRISTIANVS A STILLE,
EQVES MARCHICVS,
PVBLICO NOMINE DICET,
VTRIVSQUE REIPVB. PATRES ET CIVES,
ILLVSTRI GENERIS SPLENDORE, MV-
NERVM AMPLITVDINE, INGENII SPE AC
CLARITATE CONSPICVOS,
OFFICIOSE ET HVMANITER INVITAT
ACADEMIAE PRORECTOR
SAMVEL STRYKIVS, IC.
CONSILIARIVS INTIMVS BRANDENBVRGICVS, PROFESSOR
PRIMARIVS ET COLLEGII IVRIDICI ORDINAR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
EX OFFICINA ACADEM. CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI.